
EPISTOLA
PASTORALIS

AD

CLERUM ET POPULUM

ARCHIDIÆCESEOS BONONIENSIS



ROMAE
EX TYPOGRAPHEO JOSEPHI AURELI



MDCCCLXXI.

31

CAROLUS ALOISIUS

TITULI S. ONUPHRII

S. R. E.

CARDINALIS MORICHINI

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

ARCHIEPISCOPUS BONONIENSIS

ETC. ETC.

Omnibus qui sunt Bononiae, ejusque Spiritualis Ditionis Civitatum, Regionum, et Terrarum, Clero, Civibus, Incolis, *Dilectis Dei, vocatis Sanctis: gratia Vobis et pax a Deo, Patre Nostro, et Domino Iesu Christo.*

Novo Grege in Vobis, Bononienses eximii, Nos esse donatos, ac novum in Nobis datum Vobis esse Pastorem vel ex hisce salutationibus intelligite, et praesentibus Literis certiores estote.

Anno, enim XVIII. jam procurrente, ex quo SSmus D. N. PIUS PP. IX. pro ea, quam semper aluit Dominici Gregis solicitudine, proque ea, quam assidue in Nos impendit benignitate, Aesinae perillustris Diaeceseos Pastoralem Curam Humilitati Nostrae rite commisit; Suam esse nuper Nobis voluntatem aperuit, ut ingens perquam insignis Bononiensis Archiepiscopatus pondus (altero interim administrationis titulo ad tempus retento, absque ulla sive onerum, sive honorum innovatione) omni rerum difficultate despecta, nec factis induciis, alacriter susciperemus.

Iam vero quî tanto Pontifici, totque in angustiis constituto, si quid nostri qualiscumque operis ac laboris forte appetierit, obtemperare non debeamus?

Porro agebatur in praesentiarum de Italicarum Ecclesiarum provisu: idìpsum vero Sui de hujusmodi Translatione propositum jam alias (quid valeant humeri et aetas consulentes) demisso animo declinavimus: quamobrem iniquum videretur profecto mentis ejus iteratae significationi ulterius obsistere, ac obsistendo, communis Patris angores Nos etiam quodammodo amplificare.

Itaque cunctis comperta jam sunt Romani Pontificis Acta, quibus die XXIV. M. Nov. A. D. MDCCCLXXI (cum sponte sui muneris nuncium remisisset commendatissimus Antecessor, S. R. E. Cardinalis amplissimus, Philippus Maria Guidi) Nos nimirum, quamvis immeritos, rei quamvis impares magnitudini, Bononiensis Archiepiscopatus muniis ac dignitati renunciare minime dedignabatur: paulloque post sacro etiam pallio Nos de more honestavit.

Ab ipso ergo temporis vestigio, Fratres charissimi, ac Dilectissimi Filii, Animarum vestrarum, omnisque spiritualis Bononiensis Ecclesiae negocii coram Deo, ejusque catholica Ecclesia, sponsores cum simus constituti; id unum Nobis ex hoc, et in posterum defixum in corde gerere universis omnibus profitemur: aeternae uniuscujusque saluti, cum omni charitate, prospicere.

Multa quidem huic procurandae saluti obversantur, in hac temporum iniquitate, et per omnem terrarum orbem in Catholicam Religionem impietate, quamvis frustra, infremente, obnitente, vimque suam in omne hominum societatis corpus, veluti per venas lethalem saniem, diffundente.

Sed jam vel ab operis Nostri, relligiosi prorsus, exordiis recreat, reficit, et sustentat ipsius Bononiensis Ecclesiae satis firma conditio. Novimus enim in quo potissimum hodie Nostram, omniumque commendationem praeclarissima haec Ecclesia promereatur. Ostentet ea quidem Sex plane Pontifices, Romanae Sedis decus et ornamentum, suos fuisse natalibus, sapientia, virtute ac fama: quorum, omnium recentissimus, eminet ille, qui vel solus, ingenio et scriptis, *docentis Bononiae* gloriae ac nomini satis superque sufficeret, Benedictus PP. XIV., Prosper Lambertinus. Scilicet haec, et hujusmodi christianam Bononiam supra modum illustrant, planeque exsuperant quidquid in ejus ellogium habeant lectissimae antiquitatis scriptores, vel qui alii humana solummodo merita, civilemve excellentiam ejus

pertractarunt. Verum in hoc princeps Nobis, in hoc hodie posita sit, omnium judicio, laus ejus praestantissima: quod cum nulla tandem orbis regio habeatur, in qua multa Rei christianae damna et incommoda inlata non deplorentur; Bononia tamen, in universum inspecta, Romanae Urbis, Patriae Nostrae, quasi consors et aemula, in ea persistit, in ea manet, velut alte locata, Apostolica Relligione, quam a Petro, in Italiam ab Urbe Roma productam, et dilatatam, primum recepisse non dubitamus.

Sunt haec quidem, Bononia potens ac felix, Tutelaris tuae Deiparae Virginis interminata miracula, quae Te suis e templis, et praesertim e Lucana Aede Sua et Icone, inter rerum vicissitudines, inter partium studia, inter hostium obsidiones et bella, nunquam a Christi fide, suaque a pietate dulcissima deficere passa est, nec discedere patietur unquam. Teque certe, finitimosque populos, una tecum Gregem auspicatissimum componentes, ipsi quasi adhuc e coelesti sede depascunt, cumque augustissima Dei Matre custodiunt vetustiores Episcopi tui sanctimoniae nota cultuque conspicui: Zamas, Aeduos, Faustinos, dicimus, et Basilios, Eusebios, ac Felices: Paternianos, Tertullianos, et Iocundos, et Theodoros, et quotquot in *vitae libro* inscribuntur, et emicant. Sed Te, inprimis, Praesul omnium veneratissimus Petronius S. solicitius tuetur, et Bononiensis Gentis Patronorum Coelitum veluti aemulanti choro circumdatus, Floriani et Proculi, Vitalis et Agricolae, Hermetis, Aggaei et Caji, et Bononiensium concivis Catharinae, et Dominici S. Gusmani, cujus corporis custodia et cultu inclyta Bononia superbit, et infinitae propemodum omnigenae Sanctorum multitudinis, eorum praecipue, quorum, cum istis, veneratio antiquior et charior toti inest Archidiaecesi, vel plebibus ejus singillatim; Te incorruptam servasse laetatur, Teque invictus servabit suo Patrocinio apprime devotam, illoque dignam Te manentem in aevum.

Ac pergat utique SS.mus Praesul, et Nos licet immerentes haeredes et Successores longinquos (sic tamen a PIO IX. P. M. renunciatos, sicuti, Felicis piissimi loco superventurum, Petronium ipsum Caelestinus Rom. aeque Pontifex ad Bononienses mittebat) Nos modo, cum Carolo Nostri Nominis Auspice, et omnium Antistitum exemplari et auxiliatore praecipuo, singulariter foveat ac tutetur; quô su-

pernis eorum curis, nostris si quid valeamus, adjunctis, Deo semper fidissima, inclyta Bononia, stes, ac perseveres immota.

Speramus autem per Suas etiam preces, unanimi charitate Coelitibus cunctis profundendas, opem Nobis impetraturos esse Metropolitanae Sedis hujus *coronam et gaudium*, circumstantes Confratres Episcopos, quorum intuentes Nos vitam et regimen, utinam omnium humiles simul ac solertes aemulatores exstitisse aliquando gloriemur!

Hinc Numini divino confisi, nos quoque *labia nostra*, ubi oporteat, ab adserendis, et vindicandis Religionis nostrae doctrinis *prohibebimus* nunquam: morem alicui, partium favori, aut humanis vitiis blandientes, quasi *personarum acceptores*, vel tempori servituri, geremus nequaquam; sed omnes in Christo amplectentes, ad obsequium fidei ss.mae, ad christianam vitae rationem, quaquaversus allicere, et comparare enitemur. Dolendum quidem est multis nunc Episcopalem dispensationem sacris et temporalibus destitui subsidiis; sed Deus faxit, ut quod extra nos, adversis sortibus, imminutum reperiamus, in singulorum animis, alacrius jam ad divina excitatis, saltem quodammodo compensetur.

Nec est, re vera, cur animis deficere debeamus, quamvis multa obiiciantur infesta. Atque illud in primis nutantia corda firmaret, quod Christus Iesus Suo ipsemet oraculo pollicetur, *inferorum portas nunquam esse contra Ecclesiam praevalituras:* ea firmaret ejusdem Ecclesiae Auctoris promissio, falli utique nescii, qua certum Suis discipulis fecit *Se cum illis usque ad saeculi consummationem futurum:* ac ipsa, denique Ecclesiae persequutionum series ac successio ad strenue *bonum certamen certandum* jam sine dubio corroborat filios ejus, hostibus hinc inde impetitos; eorum enim persequutionum exitus et summa semper Apostolicae Sedi, totique Christifidelium generi splendidioris victoriae caussa exstitit atque occasio; ut quô Crucis Christi virtus inhonestius interdum opprimi videatur, eô gloriosius longe lateque splendeat ac triumphet.

Nostris vero diebus tanto certior spes animo inhaeret, ut omnia ad ulteriorem Dei gloriam proficiant mala ipsa quae nunc experimur, quo nequit illa fraudari intima Ecclesiae suavissima persuasio: fore quidem, ut Immaculatae Virginis interveniente virtute, infernus hostis

in sua vincula redigatur, et christianus populus *in pulchritudine pacis* demum instauratus considat.

Iamque exoptati muneris quasi pignus ab ipsa Dei Matre Sanctissima porrectum esse arbitramur; dum PIUM IX. P. M. Immaculatae Originis ejus Adsertorem praeelectum, et Romanor. Pontificum inerrantiae dogmate, ab Occumenica Synodo recognito, ac definito, clariori lumine decoratum, vel Petri annos, unicum e Romanor. Pontificum continuatione legitima, dedit praetergredi potuisse.

Meliora igitur exoptantes, et *cum silentio salutare Dei praestolantes,* jam praesentibus christianarum gentium necessitatibus unanimes, et pro viribus unusquisque mederi conemur, eas impediamus saltem augeri.

Nec tamen ulla erit ullius populi in veritate ac bonitate securitas, eorum nisi membra unaquaeque industriis omnigenis se curari permittant, eorumque Ordines universi in omne opus bonum suo cum Pastore intendant, studeant, et adlaborent.

Adeste, quapropter, Nobis adeste, fidelissimae Oves, et Illi subjacete libenter, qui id unum gestit, Vos in Domini pascua, per medios etiam lupos, si forte occurrerent, agere, et ibi incolumes collocare.

Adeste, quotquot in *Domini sortem* vocati, Clerum efficitis scientiae pretio, egregia vitae ratione, et sacrarum clerum peritia, assiduitate, ac ardore adeo praefulgentem, ut *totius Cleri forma et exemplum* cum Romano Clero, Bernardi verbis, valeat consalutari.

Adeste, ante alios, Vos adeste, Basilicae Cathedralis Canonici, in quibus praesertim tota viget Cleri Bononiensis effigies : utpote qui pietate, ac pietatis studio, nec non sapientia, dignitate, ipsa quoque comitate morum amplissimi et venerandi: Vosque adeste, ceterarum Ecclesiarum, Petronianum, Joannianum, Centense, Conlegia, quae externis honoribus, non laude virtutis minora, cum omnibus Cleris ac Dignitatibus in Christo suscipimus, et commendamus.

Et prae ceteris hisce ipsis, Nobis adeste, Parochi spectatissimi, in quibus Episcopi cura in singulas Gregis divisiones quodammodo multiplicatur : *opera vestra et laborem et patientiam non ignoramus.*

« Quod si ad omnes (Augustini modis utemur) pertinet sermo, quos cura nostra complectitur; verumtamen Vos etiam alloquimur, Archiepiscopalis Seminarii Alumni, ne adolescere desistatis uti novella germina sanctitatis, germen pium, examen novellum, flos

honoris, laborisque fructus » eorum, *qui prophetas,* si illud fas est usurpare, *faciunt post se successores :* ac id nimirum in Vobis eventurum esse Bononiensis Clerus laetetur, ubi sacrarum disciplinarum studia, vitae ordinem, et morum accuratissimam consuetudinem semper, aeque ac agitis, excolatis.

Nec Vos, insuper, obliviscemur Regularium Ordinum, si quae relliquiae supersunt ; probe noscentes quanta experti estis pericula, quantasque vitae perturbationes, et quo Dei spiritu opus Vobis fuit, ut, tot jactati procellis, jurata olim proposita minime deponeretis : quare *sic* quidem, *sic state in Domino semper,* et in ipsa vitae vestrae piissimae luce, hostilium insectationum iniquitas sui pudeat, et sese condemnet.

Ac apud illos, Vos quoque, saeculi odio non minus obnoxiae, « valete, o flores Ecclesiae, sorores Monasticae, Christi margaritae, paradisi gemmae, et coelestis patriae participes », saepe vero de terrestri etiam patria, non sola secreta cordis immolatione, sed operis etiam concursu bene optimeque merentes.

Neque illas Christifidelium, Virorum pariter ac Matronarum, Societates praetereamus, quae veram doctrinam, sanctamque Dei legem, ejusque Ecclesiae conculcata jura, sacro foedere pacto, propugnant, tum piorum operum institutionibus, salubriter excogitatis, et in actum peropportune deductis, tum scolis, et Ephemeridum vulgatione suscepta et promota ; et in alendam pietatem, et in catholicae praesertim juventutis bonum, in qua sita est melioris aevi fiducia, omnem conferunt curam, ac animi, vel quaevis rerum sacrificia pro Dei nomine subeunda, gravia quamvis, parvipendunt.

Sed sacros, vel pios Coetus admirati potius, quam exhortati hactenus, ad Civiles Ordines Nostra Oratio jam converti deberet.

Ante alios, Ii qui rerum summa in Civitate, in ejusque Regionibus, in Oppidis, Terrisve potiuntur, hoc habeant omni tempore veluti prae oculis positum, et insculptum : *nisi Dominus aedificaverit civitatem, frustra qui eam custodit vigilare :* Illi e contra a Deo poscentes consilia, et ejus curam cum civilibus negotiis ante omnia servantes, illud semper obtinuisse laudentur : *fiat pax in virtute tua, et abundantia in turribus tuis.*

Patriae Vestrae ornamentum, interea, Vos, patricia Nobilitate eminentes Viri, gratulationes Nostras excipite, qui ut honoribus, ut divitiis, sic etiam fidae pietatis exemplo Cives ceteros antecellitis, alacriter agite, ac ea ipsa bona, quae nuper commemoravimus, magna ex parte in Vobis locata, vestrae patriae conferre vicissim unusquisque contendite.

In qua laude, si qui vobis aequandi sint, Eos semper et cunctos Optimatibus aequari adprecamur, qui ingenii dotibus, et studiis bonarum Artium, Bononiae doctrinam proprii nominis celebritate honestarunt: « in Relligione sapientiam, et in sapientia Relligionem » cum christiano Cicerone, Lactantio scilicet, certatim quaeritantes.

Quorum omnium, denique, consiliis agendique rationi, omnes Vos, Bononienses Cives, omnes Archidiaecesis Nostrae populi, ad recte sentiendum, sancteque operandum simul una informati; Nostram profecto expectationem implebitis; Nostrisque, ex animo factis, Auspiciis benedicti, eo pervenietis, ubi *Pastor Pastorum Christus Jesus suas oviculas recognoscet in aeterna tabernacula suscipiendas; illaeque Illum recognoscentes,* omni demum luporum timore seposito, secum indivulsae permaneant, pabulis beatitatis ubertim, perenniterque refectae.

Ad quod, ceterum, prout in votis, certo impetrandum, Metropolitanam Sedem Nostram singulari etiam (praeter supra commemoratos, cum Virgine Immaculata, Bononiensis Ecclesiae Tutores) Patrocinio Michaelis S. Angelorum Principis, et B.mi ac integerrimi Mariae Sponsi Josepho jam quidem totius Christianae gentis Protectori, incolumem servandam exinde confidimus, et in eorumdem nomine, sed primum in Christo singulis benedicimus et universis.

Testis, denique, *sit Deus* (lubeat cum Apostolo ad Concives Nostros olìm conscribente concludere) *testis* utique sit *Deus, quod sine intermissione memoriam vestram* jam *facimus semper in orationibus Nostris: obsecrantes si quomodo prosperum iter habeamus in voluntate Dei veniendi ad Vos . . . ut aliquem fructum habeamus in Vobis, sicut et in ceteris gentibus,* in ea nempe Diaecesi, quam semper quidem peramabimus, Deo adjuvante, Nos collegisse non diffitemur. *Vestra enim obedientia in omnem locum,* sicut et uniuscujusque catholicarum gentium laus est et officium, adeo est divulgata, ut et Nos cum

Apostolo valeamus et *in Vobis* de Dei gloria, deque vestro profectu gaudere.

Sic ergo contingat, et *Gratia Domini N. J. C. cum omnibus Vobis. Amen.*

Dat. Romae, extra portam Flaminiam, Mense Decembri An. MDCCCLXXI. *ipsa die 10 Virgini Lauretanae sacra, qua Gregorius XIII. fel. rec. Bononiensem Ecclesiam A. MDLXXXII. in Metropolitanam Sedem evexit.*

CAROLUS ALOIS. ARCHIEPISC.

